

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

LXXXIV. Concionem ritè disponat, & in membra seu partes res textu contentas
recte dividat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

in concionibus suis semper conjungit ἀνάλυσιν
& σύνθεσιν, ut observat D. Carpzov. loco allegato
§. 3.

LXXXIV.

Concionem ritè disponat, & in membra seu partes res textu contentas rectè dividat.

Εὐχρηστικός.

AIterum Oratoris officium est, inventa ritè disponere. *Sine Dispositione Concio est cada ver*, inquit D. Henr. Müllerus Orat. Eccles. cap III §. I. p. 17. Benè Carolus Regius, Orator. Christian. Lib. VIII. c. I. ab init. *Quemadmodum*, inquit, domum non efficiunt, congesta temerè cæmenta, sed scitè colligata atq; composita, ita Concionatorio in opere quamlibet abundes rerum copiâ, nisi illas ordo & dispositio digestas, & inter se commissas prudenti ratione connectat, acervus est, non oratio. Non satis est, ait Masenius Palæstræ Orat. Lib. I. c. 15. p. 84. Imperatori numerosum ducere militem, nisi suis illum turmis opportunè in aciem digerat, pugna-

bit

bit absq; victoriâ. Est autem DISPOSITIO Concionis nihil aliud, quàm *justa & idonea rerum inventarum, seu ordinata partium Orationis totius collocatio.*
 Sive ut à *Dn. Lic. Carpozio* in *Mónitis Hodeget. B.P. jungendis* pag. 65. definitur; *Idonea partium Concionis collocatio & materia de textu & è textu dicendæ, & in apparatu jam collectæ in illas Concionis partes apta & concinna distributio.* Hæc summo opere necessaria est propter memoriam, cum dicentis, cum audientis. Commodâ dispositione memoriam plurimum juvari docet *Tullius* in II. de Orat. Nullum majus artis, *industriæq; indicium est, quàm ordo,* judice *Gerh. Joh. Vossio* parte I. Instit. Orat. Lib. III pag. 321. Ordo utilis est dicenti, ne perturbetur rerum confusione. Qui rotunda quadratis mutat, das hunder sic in se tuncpnde mactat, seipsum confundit. Audientibus, ut commodè cuncta percipiant & retineant. Omne confusum, obscurum est rudibus, ingratum hominibus doctis & peritis, & Deo displicet, cujus in rebus omnibus sapientissimus ordo elucet. Huc pertinet à *Christophoro Lubarzo* in de arte Concion. pag. 56. allegatum Elogium; *Bona dispositio est fax perspicuitatis, Lux intelligentia, Brevitatis magistra & Memoria vita.* S. Paulus, optimus concionandi Magister in 2^a ad *Timoth. Epistolâ* (quam *Chrysostomus* appellat *Testamentum Pauli jamjam morisuri,*) cap. II. 15. hortatur eum, ut *se præstet probum seu probabilem*

lem

lem Deo operarium, minimeque pudendum, ὁρδοτο
 μᾶντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, Eidem Chryso-
 sto ὁρδοτομεῖν h. l. est, purum ac genuinum ve-
 ritatis sermonem præsecare. *ἐκείων* (verba Chry-
 sostomi sunt) ἀπερὶ οὐκ ὄντα, ἀλλ' ὁρδοτομᾶντα.
 Non dicit Apostolus, ostende Te operari-
 um facile ac promptè disponentem & di-
 stribuentem verbum veritatis, sed rectè
 resccantem, i. e. amputa ac præscinde,
 quaecunque spuria & adulterina subori-
 untur, & talia summa cum diligentia ac
 mature cobibe atq; excinde. Et veluti
 de veste superflua, quicquid abundat, out
 alienum est à prædicatione veritatis, gla-
 dio Spiritus præscinde, Hæc Chrystostomus,
 Beza ad h. l. arbitratum metaphoram sumptam
 esse ab illâ legali victimarum sectione ac distri-
 butione, sed conjectura est subtilior & curiosior,
 quam verior, & Apostolum ad illam Leviticam
 carniū sectionem hic respexisse, haud est cre-
 dibile, Nicol. Fullerus Miscellân. Theolog. Lib. III.
 cap. 16 p. 422. Edit. Oxon. dicit, Vulgatam Editio-
 nem cum Latine, tum ad Metaphoræ vim decla-
 randam, ideoque & Apostoli sententiam expli-
 candam accommodatissimè interpretatam esse,
 rectè tractantem, traducta à specie ad genus si-
 gnificatione. Paucis interjectis inquit; Lexicon
 illud

illud Græco Latinum, non minus eruditum, quàm
 vetustum, ab Henrico Stephano divulgatum, op̄doto-
 m̄o exposuit, rectifacio, rectè tracto. Deniq; anti-
 quissimum illud monumentum, nec unquam satis lau-
 datum, verso nempe Syriaco hoc ipsum confirmat,
 quippe quæ translulerit ὁ ὁδοτομῆν τὸν λόγον, rectè
 prædicare sermonem. Rectè verò tractare
 seu prædicare sermonem, si definire libet,
 quid obsecro aliud est, quàm (ut optimi
 explanavit doctissimus interpres, Bezam
 intelligit) primum omnium, quod ad doctri-
 nam ipsam attinet, nihil præterminere, quod
 dicendum sit; nihil etiam adjicere de suo: ni-
 hil mutilare, discerpere, torquere. Deinde spe-
 ctare diligenter, quid seriatim auditorum captus,
 quid id denique ad ædificationem conducit.

At secare sermonem, ἔ' infœctum est La-
 tinis auribus dicendi genus. (ἔ', quod de-
 terius est) nimis angustum, nec amplitu-
 dinem sensus Apostolici assequitur. Idem
 pag. seq. ante 424. ait; Verumtamen male ser-
 monem quæpiam Græci idiomatis formulam ex ejusdem
 lingue consuetudine perstrinxerunt, quum Græci dicant,
 τέμνειν ὁδὸν, viam patefacere, seu aperire, inde
 demum dictum ὁ ὁδοτομῆν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας,
 ac sic commodè exprimi posse, verbi veritatis re-
 ctam quasi viam patefacere, vel aperire, aut ser-
 monem veritatis, quasi iter, rectè patefacere, aut

simplicius, rectum verbi veritatis iter tenere. Re-
cte B. D. Dannhauerus Colleg. Decalog. pag. 410.
inquit; Modus predicandi consistit in ὁρθοτομίᾳ
2. Tim. II. 15. quo in loco ὁρθοτομίᾳ non solum signi-
ficat recte secare textum in capita & partes, sed &
recte tractare, sicut καὶ ὁρθοτομίᾳ, Graecis non solum
est nova secare, sed & novas res moliri, διχοτομίᾳ
non solum in duas partes dividere, sed & separare.
Matth. XXIV. 15. Eleganter alludit D. Paulus ad
Synpharchas veteres, seu modimperatores, qui ad
cabos artificiose distribuendos adhibiti. B. Gerhardus
Comm. in h. l. p. 38. eadem habet & addit pag. 39.
Monetur etiam per hoc ὁρθοτομίᾳ Ti-
motheus & quivis Ecclesiae Minister, ut
convenienti ordine capita doctrinae pro-
ponat, & textum Biblicum Methodicè
disponat, ne in docendo distrabantur,
quae conjungenda, nec misceantur, quae
sejungenda. Objectum hujus ὁρθοτομί-
as, sunt λόγια θεῶν, &c. Ut ita ὁρθοτομίᾳ
τὸν λόγον τῆς ἀληθείας sit; Materias Theologi-
cas, de quibus in Ecclesiā differendum, secundū
certam Methodum & formam disponere, & recte
tractare. Ceterum, uti diximus, mirificè adjuvat
memoriam bona rei & argumentorum dispo-
sitio & distributio. Qui benè distingvit, benè do-
cet. Benè divide & dimidium facti habebis.
10.

solenter argumenta dispone & penè confectū
 stabit opus. Præeuntē rei partitionem omnis
 & verborum & sententiarum comitatus non
 difficile sequitur. Præsidium & lumen ingens
 tam Oratori, quam Auditori ordo & digestio
 rei. *Non est*, inquit *Aristoteles* Tom. III. lib. 10.
 Moral. Nicomach. cap. I. *imperite multitudi-*
nis bene distinguere. τὸ διορίζεν ὃν ἔστι τῶν πολλῶν.
 Laus artificis prima est, erudita rerum
 discretio. *Dua sunt scale ad artium cognitio-*
nem, inquit *Fonseca* Lib. I. Institut. Logic. cap. 4.
Definitio & Divisio. Juxta D. Cbr. Chemnitii
 in Meth. Concion. Sect. II. ad cap. 1. 2. & 3. §.
 3. Dispositio Concionis debet esse 1. *Textualis*,
 h. e. accommodata & respondens textui,
 2. *adequata*, h. e. exsurgens totum textum &
 nihil admiscens peregrini. 3. *concinnata & nervo-*
sa, ut omnia aptè cohæreant, & mutuo nexu
 se invicem consequantur, 4. *popularis*, ad au-
 ditorum captum directa & 5. *brevis & succin-*
cta, ne multis divisionibus & subdivisionibus
 creetur nausea &c. Ab Oratore Ecclesiastico
 itaque requiritur, ut 1. solenter inveniat, quæ
 dicat, 2. ut seligat prudenter, 3. ut inventa & se-
 lecta suo quæque loco aptè, quasi milites in acie
 peritus collocet Imperator, 4. ut decorè &
 compositè, quæ disposuit, eloquatur. Duo hic
 adhuc

adhuc monenda sunt, I. Quibusdam, ut D. Schleusner in tractatu de quadruplici Methodo Concionandi p. 3. & D. Christ. Cberwinus in Meth. Concion. pag. 177. Methodum aut nihil aut parum a Dispositione differre, utpote qui Methodum Concionandi per dispositionem orationum Ecclesiasticarum definiunt. Rectius tamen aliis Methodus & Dispositio differunt, ut latius & angustius, ut norma & normatum. Methodus est instrumentum dispositionem dirigens (inquit Dn. Lic. Carpzov. loc. alleg.) Dispositio est effectus ductura methodi servans; illa se instar normæ habet; hæc instar normati. Illa textum proximè respicit, & vellem in principia sua resolvit, vel ex eo, tanquam ex principio certas conclusiones componit; hæc resoluta & composita & quæ cum ad horum explanationem & applicationem, tum ad benevolentiam & fidem conciliandam, movendosque affectus faciunt, secundum prius & posterius digerit, ut quolibet loco competenti compareat &c. Non dispositio saltem Concionis, sed inventio simul, nec non certo respectu Elocutio, appellatione Methodi Homiletica includitur, ait Dn. D. Gebelius Methodol. cap. III. § 1. pag. 41. II. Primitivæ Ecclesiæ Doctores modicâ usos esse in Homiliis suis dispositione, ita ut plerique eorum

eorum Conciones et si partes illas Oracionis, pro-
ad materiam includant, earum tamen raro ser-
vent ordinem, & ut plurimum sine Exordio di-
cendi faciunt exordium, sine propositione pro-
ponant, & sine confutationis mentione aucta,
confutent, ut observat B. D. Hulfemannus Orat.
Ecclesiast. cap. V. sect. 2 §. 2. Partes Homiliae
Sacrae communiter quinque constitui solent;
Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio &
Epilogus seu Peroratio, quibus aliqui addunt
Confutationem. Sed Exordium ut adhibea-
tur, non semper est necessarium, ut postea dice-
mus. Narratione, quâ veluti brevi, summâ
contenta textus referimus, vix utimur, nisi in
Historia alicujus Sacrae explicatione. Et ple-
rumq; Narrationis vicem supplet ultima pars
Exordii, in quâ ad textum fit transitus, vel ipsa
Propositio, quæ est brevis totius sermone compre-
hensio, vel indivisa vel in partes aliquot distri-
buita. Confutatio quoque, quâ contraria ad-
versariorum argumentationes dissolvuntur,
non semper necessaria est, cum cujusvis rei &
questionis vel etiam loci aut temporis condi-
tio eam non flagitet. Juxta B. Hulfemannum,
Carpzovium, Botsaccum &c. partes Concionis
sunt; Exordium, Propositio, Partitio, Tractatio &
Peroratio. Narratio & Confutatio Tractatio-
ni includuntur.